

quod ubicumque aliquod jus ex deductis in judicium competit parti, licet pars ignoret, potest, et debet judex ex officio supplere; quia illud est sibi notum, et notorium ut iudici. » Hæc ille. Idem docet Layman, lib. I, tract. I, cap. v, n. 16, cum aliis.

74. *Idque probatur.* — Prior pars conclusio-  
nis clare habetur in l. un. c. « Ut, quæ de-  
sunt advocatis partium, judex suppleat, »  
ubi dicitur, dubitandum non esse, quod si  
quid a litigatoribus, vel advocatis minus fue-  
rit dictum, debeat illud judex « suppleat, et  
proferre, quod sciat legibus, et juri publico  
convenire. » Ubi Glossa varie id exemplificat  
et tandem subjungit, id locum non habere in  
facto, nisi sit ei notum ut iudici. Et merito :  
nam factum deductum in judicium jam seit  
judex, ut judex, sicque potest, ac debet sup-  
plere, prout legibus, juri publico convenit;  
secus dicendum de facto nullatenus de-  
ducto in judicium.

75. *Idque probatur.* — Et per hoc etiam pa-  
tet ad posteriorem partem conclusionis. Unde  
Pontifex in cit. c. *Bonæ memorie*. 3. *de Postu-  
lat. prælat.* utrumque prædicatorum obser-  
vasse, et practicasse legitur, illis verbis :  
« Nos igitur auditis, quæ de facto, et de jure  
fuerant allegata, plenius etiam pro utralibet  
partium curavimus allegare: suppledio vi-  
delicet, ac exactius investigando, quæ in at-  
testationibus, vel aliis in judicium deductis de  
facto proponebantur, et quæ jus partium fo-  
vere videbantur.

76. *Varia prioris partis exempla referuntur.*  
— Sic imprimis judex, si seit aliquem publice  
excommunicatum, ex officio debet ipsum  
repellere ab agendo, etiamsi reus contra  
eum non excipiat, c. *Exceptionem*, 12, *de Ex-  
ceptionib.* Deinde supplet judex libellum non  
recipiendo, si est incompetens, nec potest  
convenire causæ, arg. I. I, ff. *de Offic. asse-  
ssor.* juncta Glossa §. *Libellis.* etl. 2. § fin. C.  
« Ut nemo privatus. » Tertio ex officio sup-  
plet judex, ad meliorem veritatis investiga-  
tionem inquirendo probationes, et pæsum-  
ptiones illas, quæ non extrinsecus, sed ex ipsa  
causa oriuntur, et apparent, atque in re ipsa  
insunt, quamvis specialiter a parte non alle-  
gentur, nec probentur. arg. cap. II, *de Pre-  
sumptionib.* ubi sic processisse Salomonem in  
causa duarum meretricum, legitur. Zoesius,  
h. t. ff, n. 11. Insuper judex supplet de jure  
inducendo legem, seu canonem, vel arguen-  
do ad causam, aut ducendo ad inconveniens  
arg. I. *O fidius.* 95, *de Legat.* III. dummodo hoc

faciat sedendo, non stando, ne advocati offi-  
cium assumat. Glossa in cit. c. *Bonæ memo-  
rie*. 3. §. *Curavimus, de Postulat. prælat.* et  
alia Glossa in d. I. un. §. *Et proferre, C.*  
« Ut quæ desunt advocati, » ubi plura de hoc.

### TITULUS XXXIII.

#### De Majoritate, et Obedientia.

1. *Sicut in cœlesti hierarchia, ita et in ecclæ-  
siastica dantur gradus, et ordines ministran-  
tium.* — Postquam hactenus tractatum extitit  
de ecclesiasticorum ministrorum electione,  
ordinatione, atque officiis, merito subjungi-  
tur præsens titulus. Clarum quippe est inter  
eos non esse honoris et potestatis æqualitatem,  
sed quemadmodum in cœlesti hierar-  
chia, ipsisque angelicis choris datur quædam  
ordinum diversitas, dum alii sunt angeli, alii  
archangeli, etc., ita et in ecclæsiastica hierar-  
chia, et divinae dispensationis provisione, di-  
versos necesse fuit constitui ministrantium  
gradus, et ordines : « ut dum reverentiam  
minores potioribus exhiberent, et potiores  
minoribus dilectionem impenderent, vera  
concordia fieret, et ex diversitate contextio  
et recta officiorum generetur administratio  
singulorum; » prout optimè notarunt S. Gre-  
gorius, et S. Bonifacius Papæ, relati can. *Ad  
hoc*, dist. 89. Quibus prænotatis,

2. *Majoritas in proposito, quid?* — Quæri-  
tur I. Quid sit, et quibus ex causis majoritas  
inter clericos attendatur? Resp. I. *Majoritas*  
in proposito aliud non est, quam excellentia  
unius personæ præ alia; et ex hac excellen-  
tia, seu prærogativa illa, qua major præstat  
minori, nascitur *Obedientia*, quæ debetur ma-  
joribus.

3. *Majoritas inter clericos consideratur ex  
quinque causis.* — Resp. II. Majoritas inter  
clericos consideratur ex quinque causis, vi-  
delicet ex prærogativa ordinis, consecratio-  
nis, jurisdictionis, antiquitatis, et ex præro-  
gativa ipsius ordinantis. Ita Hostiensis in *Sum-  
ma*, h. t. n. 1, quamvis nonnulli secundum  
membrum omittant, videlicet consecrationem,  
ut Barbosa in *Summario*, h. t. Pirhing eod. n.  
1 et seqq. eo quod sub prærogativa ordinis  
comprehendi videatur. Vallensis eod. num.  
2 et alii.

4. *Nempe ex prærogativa ordinis.* — Sic

imprimis quoad prærogativam ordinis, dia-  
conus major est subdiacono, et sacerdos dia-  
cono; huicque in Ecclesia præfertur in loco  
et portione, etiamsi posterius admittatur, c.  
*Statuimus*, 15, h. t., sicut et episcopus major  
est presbytero; quamvis olim idem fuerit  
presbyter, qui et episcopus, can. *Olim*, idem.  
dist. 95. Et generaliter ratione ordinis, clerici  
sunt majores et digniores laicis, can. *Denique*.  
dist. 4, etc. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. 10. *de Con-  
stitut.* cum similibus.

5. *Et prærogativa consecrationis.* — Huc  
accedit prærogativa consecrationis: per hanc  
quippe episcopus consecratus major est elec-  
to nondum consecrato: unde nequit iste ordi-  
nare clericos, nec alia episcopalia munera  
peragere, sicut episcopus consecratus, c.  
*Quanto*. 4. *de Consuetud.* Et ob parem ratio-  
nen Ecclesia consecrata præstat benedictæ  
solum. Vallensis, cit. n. 2.

6. *Ratione jurisdictionis.* — Tertio, ratione  
jurisdictionis, sive potestatis, archiepiscopus  
est major episcopo; et archidiaconus archi-  
presbytero, c. *Ad hæc*. 7. *de Offic. archidia-  
con.* Sicut et Abbas monachis, can. *Abbates*.  
18, q. 2, et abbatissa monialibus, c. *Dilecta*.  
12, h. t. cum similibus. Qua etiam ratione  
Romanus Pontifex, veluti successor divi Pe-  
tri, Christique in terris vicarius, potestate di-  
vinitus accepta, præest omnibus archiepis-  
copis, et episcopis, imo et cunctis fidelibus,  
atque ipsis quoque imperatoribus quoad spi-  
ritualia, c. *Solitæ*. 6. h. t. cum concordan-  
tiis.

7. *Ratione antiquitatis.* — Quarto, ratione  
antiquitatis, cæteris paribus, habetur prior,  
seu major, qui prius fuit ordinatus, cap. I.  
h. t. Huc etiam facit, reg. 54, jur. in 6, ibi :  
« Qui prior est tempore potior est jure, »  
cum similibus.

8. *Et ratione excellentiæ ordinantis.* —  
Quinto tandem, quis potior habetur, seu ma-  
jor, ratione excellentiæ et prærogativæ ordi-  
nantis. Sic ordinatus a Papa, potior habendus  
est alii clericis, qui sunt ejusdem ordinis, et  
dignitatis, idque ob reverentiam sanctæ Se-  
dis apostolicæ, c. *Per tuas*, 7. h. t. et amplius  
probat Glossa ibidem. Concordat in simili c.  
*Si as. Sede*. 31. *de Præbend.* in 6. ubi, si non  
constet de prioritate beneficii duobus collati,  
similque neuter possideat, præfertur ille, cui  
Sedes apostolica, vel ejus legatus contulit,  
« idque propter conferentis ampliorem præ-  
rogativam, » ut loquitur textus. (ADNOTA-  
TIO XIII.

9. *Obedientia, ut est virtus specialis, quid?* —  
Quæritur II. Quid sit obedientia, et in quibus  
generatim consistat, seu attendatur? Resp.  
I. *Obedientia*, prout est virtus specialis, est  
virtus moralis inclinans ad faciendum quod  
jubetur, eo quod jubeatur. Ita Navarrus, cap.  
*Manual.* n. 35, estque in re communi-  
nis.

10. *Eius objectum, quod?* — Additur nota-  
ter, « Obedientia, prout est virtus specialis. »  
Cujus videlicet virtutis speciale objectum est  
præceptum superioris, tacitum vel expres-  
sum; ut inquit D. Thomas 2. 2. q. 104, art.  
2, ita videlicet, ut fiat quod jubetur, eo quod  
jubeatur.

11. *Obedientia ut sic dividitur in speciale, et  
generale; et hæc declaratur.* — Solet quippe  
obedientia ut sic distingui in speciale hic  
definitam; et in generale, quæ nihil aliud  
est, quam executio cujuscumque actus virtutis  
sub præcepto cadentis. Et hæc obedientia  
generalis comprehendit sub se omnes reli-  
quarum virtutum actus, quibus fit, quod ju-  
beatur, (sive faciendo, sive omittendo) non ra-  
tione ipsius præcepti, seu non ideo quia ju-  
beatur, sed ex intentione atque honestate cui-  
libet virtuti propria. Licet enim hujusmodi  
generalis obedientia adhuc dicatur obedien-  
tia, in tantum quia peragit, quod præceptum  
est; nihilominus ob defectum specialis moti-  
vi, seu objecti qui formalis, ea non consti-  
tuat virtutem specialis obedientiae, sed cen-  
setur esse virtus illa, ad quam pertinet actus  
virtuosus a Deo præceptus. Sic qui humili-  
est, patiens et castus, non idcirco elicit ac-  
tum specialis virtutis obedientiae (nisi forsitan  
ex sua particuliari intentione elicit tales ac-  
tus, etiam ideo quia a Deo sunt præcepti), sed  
potius actum humilitatis, actum patientiæ,  
castitatis, etc.

12. *Inobedientia etiam duplex, generalis ni-  
mirum et specialis.* — Atque obedientiae sic  
dupliciter acceptæ duplex opponitur inobe-  
dientia: una nimirum generalis, consistens  
in quocumque peccato, utpote per quod sem-  
per violatur aliquod præceptum superioris;  
altera specialis, qua ideo violatur præceptum  
superioris, quia præceptum est, vel ideo omit-  
titur actus præceptus, quia præceptus est.

13. *Obedientia, ut est virtus specialis, est  
major omni virtute morali.* — Cæterum obe-  
dientia, prout est virtus specialis, est una ex  
virtutibus moralibus, atque reductur ad ob-  
servantiam. Et quidem hujusmodi obedientia,  
licet sit minor virtutibus theologicis, nihilo-

minus dum per eam propter Deum relinquatur propria voluntas, et impletur voluntas superioris nobis præcipientis, per se loquendo major est omni alia virtute morali: prout Doctor angelicus, 2. 2. q. 104, art. 3. ex professo docet, et probat. Siquidem per virtutem obedientiae relinquitur, ac propter Deum despiciunt bonum omnium bonorum humanorum maximum, videlicet bonum animæ, seu propria voluntas, vel maxime præcellens bonis fortunæ, et bonis corporis, quæ sunt tria genera bonorum humanorum.

14. *Ac præponitur victimis; et cur?* — Atque ideo obedientia victimis jurep ræponitur, I Reg. xv, 22. quia, ut inquit divus Gregorius, lib. XXXV Moral. cap. xiii, ac refertur, can. *Sciendum*, 8, q. 1. per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Concordat Extravag. *Quorundam*, Joannis XXII paulo ante finem.

15. *Obedientia consistit in tribus.* — Resp. II. Obedientia generalim loquendo attenditur seu consistit in tribus, videlicet in reverentia superiori exhibenda, in mandato ejus suscipiendo, et in judicio subeundo. Ita Glossa in *Summa*, ¶. *Obedientia*, dist. 93. Hostiensis in *Summa*, num. 2, h. t. et alii, ac declarantur singula.

16. *In reverentia superiori exhibenda.* — Sic obedientia imprimis consistit in reverentia; hec quippe debetur superiori, ita ut minor assurgat majori, et cedat ipsi primum locum in sedendo et eundo, ut explicat Glossa, ibid. Item, ut inferior non sedeat stante superiore, aut eo non jubente, can. *Non oportet*, dist. 93, ac hujusmodi. Fallit tamen hoc, ubi minor ordine, vel posterior tempore, major est potestate, vel jurisdictione: ut patet in archidiacono, qui hac ratione præcedit archipresbyterum, haud obstante, quod iste major sit ordine, c. *Ad hæc*, 7 de Offic. archidiac. Item fallit, cum minor gerit vicem et locum majoris, u. can. ult. dist. 93, ubi diaconus, habens locum sui metropolitani, sedet ante presbyterum.

17. *In mandato ejus suscipiendo.* — Deinde inferior tenetur suscipere, atque exequi mandatum majoris; non quidem cujuscumque, sed illius dumtaxat, qui habet jurisdictionem in se, ut pater in filium, prælatus in monachum, etc.; vel saltem administrationem, ut magister respectu discipuli, tutor respectu pupilli. Licet enim reverentia debeatur omnibus majoribus, eorum tamen præcepto obedire nemo tenetur, nisi respectu cuius ha-

bent jurisdictionem, vel administrationem. Porro inferior tenetur obedire præcepto hujusce majoris, seu legitimi sui superioris in omnibus, quæ ad proprium statum, vel communem utilitatem reipublicæ pertinent, nec contrariantur legi diuinæ: ut liquet ex quanto præcepto Decalogi, et can. A. *Subdiacono*, dist. 93. et can. *Quæ contra*, dist. 8. cum similibus.

18. *Adeo, ut etiam in dubio an liceat actus, semper sit obedientium.* — Et hoc adeo verum est: si etiam in dubio an id, quod præcipitur, sit contra præceptum Dei, nec ne, semper sit obedientium. can. *Quid culpatur* 23, q. 1. juncta Glossa fin. ibid. et doctores passim. Nam in dubio melior est conditio possidentis, puta superioris præcipientis; unde licet fortasse superior injuste faciat præcipiendo, tamen subditus juste facit obediendo, et stante dubio excusabitur ob necessitatem serviendi.

19. *Secus, quando constat id esse contra Deum quod præcipitur.* Declaratur hoc exemplo militum christianorum sub Juliano Apostata servientium. — Secus est, quando aliquid præcipitur, quod constat esse contra Deum; quia tunc prælato illicitum præcipienti non oportet obedire, sed Deo magis obedientium est quam homini, Act. cap. v, 29 et can. *Non semper*, et seqq. 11. q. 3. Nam quamvis per obedientiam aliquando bonum sit omittendum, nunquam tamen per eam malum est faciendum, can. *Quid ergo*, 11, q. 3. Ac proinde in rebus illicitis obedientia non est præstanda, can. *Si dominus*, et can. *Imperatores*. ead. caus. 11, q. 3, ubi hoc amplus declaratur exemplo militum christianorum sub Juliano Apostata servientium, cui statim obtemporebant pugnam indicenti, non item cultum idolorum præcipienti.

20. *Tenetur inferior obedire superiori in iudicio subeundo.* — Tandem inferior tenetur obedire superiori in iudicio subeundo; adeo, ut juridice citatus teneatur comparare in ejus iudicio; et alioquin contra eum veluti contumacem, procedi valeat, c. *Ex litteris*, et c. *Cum dilecti*, 6 de Dolo et contumac. cum similibus. Nisi per legitimam appealationem, aut recusationem, ejus iudicium declinare valeat. Verum ad hoc, ut quis teneatur majori obedire in iudicio subeundo, requiritur ex parte illius jurisdictionis in inferiorem, nam cæteros quin sententia a non suo iudice iata nullus est momenti, At si clerici 4. de Judicis cum concordantius.

21. *Mandato superioris, etiam oneroso, humilier est obediendum; et toleranda correctio etiam injusta.* — Resp. III. Mandato superioris etiam oneroso humilier est obediendum, et pia devotione tolerandum jugum, quod imponitur; etsi vix ferendum videatur, can. *In memoriam*, dist. 19. Atque insuper patientissime toleranda correctio, etiam injusta, can. *Contra morem*, dist. 100. Nisi quis rationabilem causam prætendere possit, eamque debita cum reverentia assignet, cur mandatum superioris adimplere non possit, c. *Si quando 5. de Rescriptis*.

22. *Cui magis sit obediendum ex duabus superioribus, contraria præcipientibus?* In obediendo major potestas præponitur minori; id que declaratur exemplis. — Quæritur III. Cui magis sit obediendum, si quis duos habet superiores, et unus præcipiat unum, alter contrarium? Resp. I. In obediendo major potestas præponitur minori; adeoque in tali casu magis superiori parendum est præ alio. Ita Hostiensis in *Summa*, n. 6. § *Quid si duo. h. t.* Federicus de Senis; consil. 191 § *Item quod iste*, cardinal. Tusclus, litt. O. concl. n. 3. et alii. Et hæc conclusio clare traditur in can. *Quæ contra*, dist. 8. illis verbis: « *Sicut enim in potestatis societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.* » Concordat can. *Qui resistit*, 11, q. 3, ubi sanctus Augustinus, serm. 6. de Verbis Domini, id declarat exemplo curatoris, proconsulis, et imperatoris, ac ipsius Dei: nam si aliquid jusserrit curator, id faciendum est; tamen si contra proconsul jubeat, hujus potestas præfertur. Et si aliquid proconsul jubeat, aliud imperator, nemo dubitat, illo contempto, huic esse servendum. Sicut et si aliud imperator, aliud Deus jubeat: nam major potestas prævalet minori; et imperator carcerem, Deus gehennam inobedientibus minatur.

23. *Proponuntur, et solvuntur nonnullæ instantiæ.* — Dices: Juxta can. *Archiepiscopus*, cum seqq. 9, q. 3, clericus magis tenetur obedire episcopo, quam archiepiscopo; imo hic circa clericum sui suffraganei, eo inconsulto, nihil potest disponere, et nullam in eum habet potestatem, c. *Pastoralis*, 11, de Offic. ordinari. Sicut et monachus magis tenetur obedire suo prælato, quam episcopo; adeo, quod episcopus ipsum non possit ordinare, neque ad majus officium promovere, invito prælato, can. 1. et 2, dist. 58. Similiter episcopus non debet relaxare sententiam excom-

municationis rationabiliter latam a plebana sibi subjecto, absque hujus conscientia, et præmissa per malefactores congrua satisfactione, c. *Cum ab Ecclesiarum 3. de Offic. ordinari*; ergo non semper est obediendum majori potestati seu magis superiori. Resp. neg. consequent., quia conclusio non absolute dicit majori esse obediendum, sed majori potestati, seu magis superiori; hoc est, illi, penes quem magis ac principalius potestas imperandi residet: prout accedit in proconsule, respectu curatoris sibi subjecti, et in imperatore respectu proconsulis, et in Deo respectu imperatoris, cum hic potestatem præcipendi recipiat ab illo, non e contra. Hoc autem non accidit in allatis instantiis

24. *Proponuntur et solvuntur nonnullæ instantiæ.* — Sic quippe, licet archiepiscopus sit major episcopo, non tamen major est ejus potestas respectu clerici suo suffraganeo subjecti; quinimo extra actum visitationis, et quosdam alias casus, supra tit. XXXI, de Officio judicis ordinari. § 2. n. 43, et seqq. enumeratos, et in quibus talis clericus tenetur magis obedire archiepiscopo, nullam hic ipsum habet potestatem, sive jurisdictionem, c. *Pastoralis*, de Offic. ordinari.

25. *Proponuntur et solvuntur nonnullæ instantiæ.* — Similiter, quamvis major sit dignitas episcopi, quam abbatis, non tamen pertinet ad officium episcopi pro libitu suo disponere circa monachum; quinimo monachus immediate habet abbatem loco Dei supra caput suum, idque vi voti obedientiae, c. *Religiosus* 27. de Elect. in 6. Ac proinde (exemptis certis casibus) merito tenetur magis obedire suo abbat, quam episcopo. Abbas Panormit. d. c. *Cum ab Ecclesiarum*, n. 10. de Offic. ordinari.

26. *Proponuntur et solvuntur nonnullæ instantiæ.* — Ad ultimum de plebano dicuntur cum Glossa fin. in cit. c. *Cum ab Ecclesiarum* et Abate, ibid. n. 14. allegante communione doctorum, licet episcopus male faciat relaxando justam sententiam excommunicationis a plebano in sibi subjectos latam (sic enim nonnulli confunditur ordo ecclesiasticus, arg. can. *Pervenit ad nos*, 11, q. 1. ac proinde merito istud dicunt per episcopum fieri non debere) quod nihilominus talis absolutio ab episcopo facta teneat. Siquidem ipse est ordinarius suæ dioecesis; et quamvis plebanus vel alius inferior prælatus, habeat jurisdictionem in suos subditos, hanc tamen non habet excluso episcopo, sed cumulative cum

ipso. Unde hæc instantia neutiquam urget, sed potius favet conclusioni nostræ. Videantur etiam dicta superius cit. tit. de *Officio iudicis ordinarii*, § 3. n. 78 et 18.

27. *Si superiores illi sint æquales domini, tenetur quis obedere utrique, si potest.* — Resp. II. Quod si vero ex duobus illis superioribus neuter sit superior altero, sed vel sint æquales domini, atque æqualis jurisdictionis, puta duo episcopi, quibus quis vovit obedientiam, vel saltem ex diversis titulis est quis subjectus ambobus; tunc si talis potest utrique obedere, tenetur ad hoc, l. *Duorum libertus*. ff. de *Operis libertor.* et l. *Si quis gravi.* § *Si cum omnes*, ff. *Ad S. C. Syllanianum*.

28. *Quod si utrique obedere nequeat, tenetur obedere illi, cui majori vinculo, seu potiori titulo est obligatus.* — Si vero utrique nequit obedere, ut quia præcipiant contraria, vel simul incompossibilia; tunc tenetur obedere illi, cui majori vinculo, sive potiori titulo est obligatus. Ita Hostiensis in *Summa*, num. 6. § *Quid si domini*. h. t.; card. Tusculus, loc. cit. et alii. Siquidem generale est, quod major potestas minori præponatur ad obedientium, can. *Quæ circa*, dist. 8. Atqui major illa potestas non solum consurgit ex dignitate majori prælatorum, sed etiam ex majoritate, seu potioritate tituli, quo quis tenetur obediere; prout ostenditur inductione.

29. *Declaratur hoc exemplis.* — Sic imprimitur, qui duobus episcopis juravit obedientiam, ac nequit obedere utrique, eo quod diversa, seu incompossibilia præcipiant, tenetur obedere illi, cui primo juravit; quia juramentum primum licitum servandum est, et secundum, quatenus contrariatur p'iori, non tenet, c. *Veniens*, 16, et c. *Intellecto*. 33. de *Jurejurand.* Hostiensis ubi supra.

30. *Declaratur hoc exemplis.* — Deinde, quando filius familiæ cuiquam aliquid sub juramento promisit, si patri oppositum præcipienti humiliiter obediatur, non fit perjurus, (dummodo præceptum paternum non procuraverit) imo tenetur patri potius obedere. Federicus de Senis, consil. 191. card. Tusculus, litt. O. cit. concl. 1, num. 1. et alii. Ratio est: quia filius per factum suum, seu per juramentum alteri præstitum, non potest tollere, aut vulnerare obligationem, quae de jure naturali, ac divino, suo parenti totius titulus tenetur. Accedit, quod jurans per secundam obligationem non possit præjudicari superiori; licet, in quantum in se est, teneatur eam observare, ex quo observari

potest sine peccato, c. *Si vero*, 8, de *Jurejur.*

31. *Declaratur hoc exemplis.* — Quod si vero pro eodem tempore pater præcipiat filio, circa rem domesticam, et judex, aut bellum dux circa negotium reipublicæ, magis judici, aut duci obedere tenetur, quam patri, quia bonum publicum est præferendum privato. card. Tusculus, loc. cit. num. Engel, h. t. n. 70, ubi cum aliis doctoribus generaliter docet, quod inter pares potestate superiores ei sit obedientium, qui præcipit ad nobiliorum finem.

32. *Declaratur hoc exemplis.* — Rursus, quando quis ratione duplicitis beneficii, vel officii legitime possessi, subjicitur jurisdictioni diversorum prælatorum incompossibilia præcipientium, tenetur magis obedere illi, cui principaliter subest. arg. c. *Cum clericis*. 19. de *Verb. signif.* vel cæteris paribus, a quo majus beneficium habet, arg. c. *Cum in officiis*. 7. et c. *Relatum*. 12. § fin. de *Testament.* et cap. ult. de *Postulando*. Quod si vero omnia sint æqualia, locus est gratificationi, arg. 1. *Si quis gravi.* § *Si cum omnes*, ff. *Ad S. C. Syllanianum*, ac notat Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 6. § *Sed quid si.*

33. *Clericus magis tenetur obedere episcopo, quam principi sæculari contrarium præcipienti.* — Tandem, quia episcopus in sua diocesi major est quocumque principe sæculari, cum spiritualia sint temporalibus digniora, c. *Illud*. 5, h. t. adeo, ut omnes principes episcopo loci teneantur obedere in pertinentibus ad pastorale officium suum, c. *Omnes principes*, 4. et c. *Solitæ*. 6. eod. atque idcirco sanctus Ambrosius episcopus Mediolanensis, Theodosium Magnum imperatorem excommunicare non formidaverit, can. *Duo sunt*, dist. 96, sicut et S. Stanislaus, episcopus Cracoviensis, excommunicavit Boleslaum regem Poloniæ. Hinc sequitur, quod clericus magis teneantur obedere episcopo loci in pertinentibus ad ejus officium, quam cuicunque principi sæculari contrarium præcipienti: etiamsi huic subsint ratione honorum temporalium quorum jacturam pertimescere possunt, cit. c. *Itua*. b. t. ibi: « Non debuerant pro temporali commodo inobedientiae notam incurrire; » vel in alio licto, ac honesto servitio illius principis sæcularis detineantur: ubi enim contraria præcipiantur, tunc majori domino obedientium est, cit. can. *Qui resistit*, 11, q. 3, cum similibus. (ADNOTATIO XIV.)

34. *Inobedientis decretis episcoporum, vel præ-*

*latorum ecclesiasticorum, excommunicari debet.*

— Quæritur IV. Quæ sint pœnæ inobedientis? Resp. I. Si quis decretis episcoporum, aut aliorum prælatorum ecclesiasticorum, per contumaciam non obtuperaverit, excommunicari debet. Textus est in cap. II, h. t. ibi: « Si quis venerit contra decretum episcopi, ab Ecclesia abjiciatur. » Concordat can. *Si autem vobis*, 11, q. 3. Quanquam hæc excommunicatione non sit latæ sententiæ, sed primum ferri debeat contra inobedientem, ut resipiscat; prout innuitur citatis illis verbis: « Ab Ecclesia abjiciatur, » id est, excommunicetur.

35. *Dummodo inobedientia sit notabilis, et conjuncta cum contumacia.* — Adde, quod talis pœna excommunicationis non sit infligenda, nisi propter inobedientiam, quæ spectatis omnibus circumstantiis sit peccatum mortale, simulque conjuncta cum contumacia, can. *Nemo episcoporum et can. Nullus sacerdotum*, 11, q. 3. ac notat Abbas in cit. cap. II, num. 1, h. t.

36. *Abbatissa nequit excommunicare propter inobedientiam sibi subjectos, nec clericos stricte suspendere.* — Excipe tamen abbatissam; hæc quippe canonicas suas, et clericos suæ jurisdictioni subjectos, propter inobedientiam excommunicare non potest, c. *Dilecta*, 12, h. t. eo quod excommunicatione pertineat ad claves Ecclesiæ, quarum potestas non competit fœminis, c. *Nova*, 10. de *Pœnit.* et *remiss.* Quæ de causa eliam abbatissa nequit proprie, ac stricte, suspendere ab ordine clericos sibi subjectos, ea scilicet suspensione, enjus violatio inducit irregularitatem; licet large loquendo possit ipsos suspendere a beneficio, subtrahendo videlicet eis beneficium, aut ipsis præcipiendo, ne celebrent, donec satisfecerint, idque ratione jurisdictionis, quam ex speciali jure, ut puta ex longæva consuetudine, vel privilegio, in eos forsitan acquisierit, arg. c. *Dilecta*, 12. et notat Abbas, ibid. n. 5. h. t.

37. *Potest tamen implorare officium superioris, ut ipse tales excommunicet, aut suspendat.* — Quamvis autem abbatissa nequeat excommunicare, vel proprie clericos suspendere; potest tamen implorare officium superioris, ut ipse excommunicet, vel suspendat contumaciter inobedientes, juxta cit. c. *Dilecta*, § et *Abbatem*, ibid. n. 3.

38. *Non obediens canonicis institutis incurrit infamiam; et qualem?* — Resp. II. Insuper non obediens canonicis institutis incurrit inobedientiae notam, id est, infamiam.

Patet hoc ex c. *Illud Dominus*, 5, h. t. juncto summario, et doctoribus, ibid. Quamvis hæc sit talis infamia canonica, qualis oritur omni peccato mortali, quo per pœnitentiam, et sacerdotalem auctoritatem sublatu, tollitur et infamia, can. *Illi qui*, 6. q. 1. et observat Abbas in cit. c. *Illud Dominus*. Not. 2. (ADNOTATIO XV.)

### TITULUS XXXIV.

#### De Treuga et Pace.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quamvis post *Tractatum de prælatis et judicibus ecclesiasticis*, mox de ipsis judiciis tractandum videretur, nihilominus præmittendum censuit compilator juris canonici *Tractatum de Pace et Treuga, Pactis et Contractibus*, et aliis hujusmodi, quibus litigantes partes ad pacem et concordiam revocari possunt.

2. *Judicum ecclesiasticorum est, discordantes ad pacem reducere. Bonarum mentium est, lites execrari.* — Et merito id factum: tum quia judicum ecclesiasticorum est, discordantes ad pacem reducere, ut habetur dist. 90, per totum; tum quia præstat, ut, si fieri possit, dissidentes ac litigantes tempestive propriis pacationibus, atque transactionibus, seu aliis opportunitatis modis, ad concordiam revocentur. Litigia quippe ac dissensiones criminum præbent occasionem, suntque multorum causa malorum, Clem. *Dudum*, § 1. de *Sepultur.* Unde et bonarum mentium est, lites execrari, arg. 1. Item si res. § fin. ff. *De alienat. judic. mutand. caus.* et inter alios notat Fagnanus in c. *Conquestus*, n. 53, de *Feriis*. Incertus est enim litis eventus, simulque cogitandi sunt sumptus ad ejus prosecutionem necessarii, arg. 1. *Quod debetur*, ff. *de Peculio*.

3. *In litibus, seu controversiis causarum, quæ mala oriuntur?* — Pulchre sane S. Ivo, advocateus patronus (ut post Rebuffum tom. I, *Ad leges Gallie*, in procœmio, Glossa 5, n. 154, refert Barbosa, part. III de *Offic. et potest. episcop.* allegat 78, n. 44.) dicebat « quod in controversiis causarum capitales inimicitiae oriuntur, fit amissio expensarum, labor animi exercetur, corpus quotidie defatigatur, multa et in honesta crimina inde consequuntur, bona et utilia opera postponuntur: et qui semper credunt obtinere, frequenter suc-